



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 33. Legatus a Cæsare Roma evocatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](#)

Sæcul XVI.**A.C. 1558.****§. XXXIII.***Legatus a Cæsare Roma evocatus.*

Thuan. l. 21. *Heiss. p. 410.* *Pallav. n. 10.* **E**odem tempore Philippus II. comper-
ta Pontificis repulsa Francisco Var-
gæ suo apud Venetos Oratori negotium
dabat, ut Romam contenderet, remque
suo nomine Paulo IV., & Cardinalibus
plurimum commendaret. Verum nec
benignius Pontifex hujus Oratoris, quam
antea Gusmani preces exceperat, quini-
mo Joannem quoque Figuerram Me-
diolani Gubernatorem Hispaniæ Re-
gis jussu hac ex caussa Romam missum
Pontifex, cum illius adventum intelli-
geret, indignum in modum aditu in ur-
bem prohibebat, afferens, eum conje-
cto in carceres Nuntio Pontificio, ana-
themate irretitum esse. Attamen Fer-
dinandus, cum summi Pontificis ratio-
nes vanas, ac frivolas censeret, suo Le-
gato injunxit, ut nisi post triduum a Pa-
pa ad alloquium admitteretur, rebus
compositis Roma discederet, declaratio-
ne tamen prius facta, se, ut Pontifici

Cæsa-

Fleurii tanquam Historici omnibus numeris
absoluti auctoritate velut ex retroactæ æ-
tatis monumentis testamat facere Pontificum
arrogantiam, ambitionem, atque alienorum ju-
rium usurpationem. Verum prudens Lector!
vide, cui fidas!

Cæsaris nomine juxta suorum Majorum Sæcul.XVI.
 morem filiale obsequium exhiberet, A. C. 1558.
 tanquam illius Legatum Romam fuisse
 decretum, inde vero, cum ibi nec admis-
 sus, nec auditus fuerit, discedere esse
 coactum, ut de iis, quæ hoc in negotio
 gesta fuissent, certiorem redderet Cæsa-
 rem, qui re cum S. R. I. Electoribus per-
 pensa id omnino facturus esset, quod
 Cæsareæ dignitati convenire videretur.
 Itaque Gusmanus postquam ea, quæ cir-
 ca hanc declarationem exequi jussus e-
 rat, summo Pontifici significaverat, a-
 micis suis valedicens Roma discessit.

Hæc ipsa Pauli IV. severitas Ferdi-
 nandum eo induxit, ut de Cæsarei solii
 sui firmitate sat certus pro accipienda
 a Pontifice corona, in Italiam proficiisci
 haud ultra sollicitus esset. Evidem
 Carolus V. a Papa coronatus fuerat, i-
 pse vero erat postremus inter illos Cæ-
 fares, qui se se huic solemnitati subjicie-
 bant: nam Ferdinandus sibi persuasum
 habebat, quod S. R. I. Electoribus in
 Cæsaris electionem consentientibus pri-
 уча confirmationem emendicandi
 consuetudo, ac Romæ Imperialeм
 coronam accipendi mos nonnisi inutilis, ac
 supervacanea esset solemnitas, quod Fer-
 dinandi judicium, inquit quidam Histo-
 ricus, postea ad omnes illius Successo-

Hist. Eccles. Tom. XLIII. E res

Sæcul. XVI. res transiisse, eorumque animis altius
A.C. 1558. infedisse videtur (*).

§. XXXIV.

Caroli V. Imperatoris obitus.

Thuan. l. 21. n. 6. Ant. de Vera hist. de Charles V. Ferventibus hisce tumultibus, quibus magis adhuc Pontifex, quam Ferdinandus agitabatur, Carolus V. hoc anno die vigesima prima Septembris Divo Matthæo sacra, in suo ad sanctam Justum recessu obiit, postquam quinquagesimum octavum ætatis suæ annum, septemque Menses demptis tribus diebus expleverat; natus enim erat Anno Christi millesimo quingentesimo in die festo S. Matthiæ: Ceterum die ultima Mensis Augusti febri corruptus, altera post die conscientiæ sūæ maculas pœnitentiæ lavacro eluit, ac cum singulari pietatis affectu Sacra Synaxi refici voluit: cum autem malum magis, magisque ingravesceret, rursus superioris vitæ pecca-

(*) Quisnam, num Catholicus, vel hæreticus, num suspectæ, vel probatæ fidei Historicus fuerit, reticet Continuator, ne hujus reflexionis æquitas, vel iniquitas dignosci valeat: qua autem ratione adeo asseveranter de Ferdinando I. piissimo Cæsare afferere audeat, quod Romanam coronationem non nisi inanem, & superfluam solemnitatem reputaverit, haud perpicere possumus.